DE
THEOPHRASTI LIBRIS
ΠΕΡΙ ΦΙΛΙΑΣ.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE CAPESSENDOS

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XV MENSIS IVLII A. MDCCCLXXVI

HORA XII

PVBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

GVSTAVVS HEYLBVT

HAMBVRGENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

AVGVSTVS FRESENIVS DR. PHIL.

GEORGIVS LOESCHCKE DR. PHIL.

FELIX HETTNER STVD. PHIL.

BONNAE.

TYPIS CAROLI GEORGI, VNIV. TYPOGR.

MDCCCLXXVI.

FRANCISCO BVECHELERO

HERMANNO VSENERO

S.

De clarorum antiquitatis librorum pernicie iniuriosam aetatis saevitiam ii incusant, quos quam in hac quoque historiae parte lege omnia et ratione fiant, aut inertia aut hebetudo mentium cognoscere non sinit. Tales tamen querimonias iactantibus, quamvis inutili sane negotio fungantur, subest nonnumquam sensus feracissimus quo ad literarum historiam tractandam vehementius excitentur. Et cum ex omni literarum Graecarum parte singula tantum ad nos pervenerint, tum philosophici libri pro ingenti eorum numero qui per antiquitatem ferebantur, perpauci et temporum vicissitudines tulerunt et varias hominum voluntates quibus eadem mox oblectationi mox odio sunt. Cum vero in omnibus quaestionibus, quae ad antiquitatis cognitionem pertinent, summopere studendum sit, ut unde una quaeque res orta sit, quomodo adulta, quid ex sese genuerit intellegatur, difficillimum hoc est negotium si de philosophiae historia Graecorum quaestiones proponuntur. Neque enim praeter Platonem et Aristotelem et populares aliquot Stoicae sectae scriptores quisquam extat aut Academicus aut Peripateticus aut Epicureus, cuius reliquiae de ipsius dogmatis plura nos doceant quam aequalium imitatorumque testimonia et excerpta. Neque mirum est quod cum in plurimorum philosophorum ne certissimis quidem fragmentis comparandis existimandisque viri docti idoneam operam posuerint, perraro adhuc quaesiverunt, quid ex inferioris aetatis libris ad vetustiorum philosophorum doctrinam cognoscendam ita conferri possit, ut unde eorum quisque et res et sententias sumpserit vel ad cuius viri exemplar suos libellos composuerit indagetur.

Arduum quidem est illud disputandi genus et in quo ad liquidum res saepe perduci non possint. Est tamen ubi tam laeti fructus inde percipiantur, ut ii omnes qui et harum literarum historiam tractent neque rationem habeant eorum scriptorum quos aliena pro suis venditare constet, iure reprehendantur.

Nostra vero disputatio omnis proficiscitur a Gelliano loco quo docemur a M. Tullio Theophrasti librum *περὶ φιλίας* inscriptum adhibitum esse cum de amicitia libellum componeret. Gellius enim postquam inde a Chilone multos philosophiae sectatores quaesivisse tradidit, an nonnumquam contra ius contrave morem faciendum pro amico sit et in qualibus causis et quemnam usque ad modum, haec subicit I, 3, 10: 'Super hac quaestione .... vel diligentissime a Theophrasto disputatur, viro in philosophia peripatetica modestissimo doctissimoque, eaque disputatio scripta est, si recte meminimus, in libro eius de amicitia primo. Eum librum M. Cicero videtur legisse, cum ipse quoque librum de amicitia componeret. Et cetera quidem, quae sumenda a Theophrasto existimavit, ut ingenium facundiaque eius fuit, sumpsit et transposuit commodissime aptissimeque; hunc autem locum .... strictim atque cursim transgressus est' etc. cf. VIII, 6.

Is liber Theophrasteus, quem tripertitum fuisse ex Laërtio Diogene V, 45 et Hieronymi comment. in Mich. VI. col. 517 ed. Vall. intellegimus, servatus nobis non est. Indaganda igitur nobis proposuimus quae qualiaque apud inferioris aetatis scriptores et Graecos et Romanos vestigia reliquerit, ita ut quaecunque de eius natura ex sententiarum rerumque imitationibus concludi possunt, in unum collecta examinemus. Qua in inquisitione eam rationem sequemur ut ex eis fragmentis quae auctoris nomine addito a rerum moralium scriptoribus praebeantur de totius argumenti natura et indole notitiam quandam nacti, dum ceterorum philosophorum eadem de re scripta legimus, quid possit esse

Theophrasteum, quid non quidve cum Eresii philosophi sententiis aut notabiliter congruat aut aperte discrepet, disceptemus. Percurrentem vero frustula ista — quorum nos primam notitiam Useneri liberalitati debemus, qui ex sua fragmentorum Theophrasteorum collectione transcribere nobis permisit quaecunque usui nobis esse viderentur — hoc fugere quemquam nequit, plerisque in rebus quam anxie Theophrastus summi magistri vestigia presserit, ut hic quoque probetur Tullianum illud: 'Theophrastus mediocriterne delectat, cum tractat locos ab Aristotele ante tractatos?' de fin. I, 6. De amicitia quidem disputantes fieri non potuit quin diversissimarum scholarum sectatores multis in rebus consentirent. Sed tamen, ut unum afferamus, de amicorum multitudine utrum esset quaerenda an vitanda, non omnes aeque iudicabant. Aristotelem quidem quique eum sequebantur Peripatetici philosophi veram amicitiam nisi inter paucos extare non posse iudicasse certissimum est. Vide Eth. Nic. VIII, 7 p. 1158ª 10 *πολλοῖς δ' εἶναι φίλον κατὰ τὴν τελείαν φιλίαν οὐκ ἐνδέχεται, ὥσπερ οὐδ' ἐρᾶν πολλῶν ἅμα.* IX, 10 p. 1171ª 14 *δι' ἀρετὴν δὲ καὶ δι' αὐτοὺς οὐκ ἔστι πρὸς πολλούς, ἀγαπητὸν δὲ καὶ ὀλίγους εὑρεῖν τοιούτους.* In hanc sententiam dicere solitum fuisse Aristotelem *ᾧ φίλοι οὐδεὶς φίλος* Favorinus commentariorum II [1]) narravit. Stoici contra multos amicos conquirendos esse iudicabant. Laërtius VII, 124 *λέγουσι δὲ καὶ τὴν φιλίαν ἐν μόνοις τοῖς σπουδαίοις εἶναι διὰ τὴν ὁμοιότητα· φασὶ δ' αὐτὴν κοινωνίαν τινὰ εἶναι τῶν κατὰ τὸν βίον, χρωμένων ἡμῶν τοῖς φίλοις ὡς ἑαυτοῖς· δι' αὐτόν θ' αἱρετὸν τὸν φίλον ἀποφαίνονται καὶ τὴν πολυφιλίαν ἀγαθὸν κτλ.* [2])

---

1) Laërt. V, 21. — Hoc Peripateticorum de amicitia iudicium nescio an Iuvenalis respexerit sat. III, 120: Hermarchus,

Qui gentis vitio numquam partitur amicum,
Solus habet.

2) Neque tamen aliorum praeter Platonis praecepta in mente

Et hac quidem in re cum Stoicis [1]) Epicurei fecisse videntur. Cicero vero, ut de amicitia librum praetereamus, de officiis II, 30 mediam quodammodo viam tenuit et Stoicorum ut videtur praecepta secutus neque Theophrasteae immemor sententiae, quam haud ita multo ante et cognoverat et expresserat. 'Ad cuiusque,' inquit, 'vitam institutam accommodandum est, a multisne opus sit an satis sit a paucis diligi.'

Atque Aristotelem inter et Theophrastum tantus est consensus, ut ex copiosa praeceptoris disputatione quam Ethic. Nicom. libris VIII et IX legimus, qualis a discipulis consarcinata esse videtur, non pauca ad fragmenta Theophrastea adumbranda accommodari possint. Praeterea adhibenda sunt Eth. Nic. IV, 12, Eth. Eud. VII, Magn. Mor. II, 11—17 et Peripateticae de amicitia doctrinae conspectus apud Ioannem Stobaeum Ecl. II, 6, 16, cuius summa haec est: *τῆς φιλίας εἶναι διαφορὰς τέσσαρας, ἑταιρικὴν* [v. Eth. Nic. VIII, 6 p. 1157^b 23], *συγγενικὴν* [E. N. VIII, 14 p. 1161^b 12], *ξενικὴν* [E. N. VIII, 3 p. 1156^a 31], *ἐρωτικὴν* [E. N. VIII, 3 p. 1156^b 1] .... *πασῶν δὲ συλλήβδην εἶναι τέλη τρία, τὸ καλὸν, τὸ συμφέρον, τὸ ἡδύ.* [2]) Praeter Theophrastum et Aristotelem, quem *περὶ φιλίας* uno volumine egisse Laërtius, tribus Hesychius fert, solum inter

---

habet Aristot. E. N. VIII, 1 *ἔνιοι τοὺς αὐτοὺς οἴονται ἄνδρας ἀγαθοὺς εἶναι καὶ φίλους.* cf. Clement. Alex. Strom. V, 14, 95 p. 703 P., qui Platonis locos Phaedr. p. 255 B, Lysid. p. 214 B—D, de Leg. IV, p. 716 C et Zenonis dictum *τοὺς ἀγαθοὺς πάντας ἀλλήλων εἶναι φίλους* composuit. Quod vero eodem loco Aristoteles singulariter sane *ἥ τε πολυφιλία* inquit *δοκεῖ τῶν καλῶν ἕν τι εἶναι,* vulgari opinioni quae amicitias qualicunque ratione conciliatas laudaret, indulsisse videtur.

1) cf. Is. Casaubon. ad Laërt. X p. 119; Cic. de fin. I, 65. — De polyphilia controversia nota fuit auctori *Ἐρωτικοῦ,* orationis inter Demosthenicas LXI § 17.

2) cf. Plut. Amator. 16.

Peripateticos Clearchum de amicitia libros composuisse constat [1]). Praxiphanis quidem nomen legitur libro XX Carnisci Philistae (Vol. Hercul. Nov. Coll. V 192) *διότι μακρὰν ἀπεῖχε Πραξιφάνης τούτων δεόντων τι λελογίσθαι περὶ φιλίας καὶ τὴν π[αρ]ήκουσαν ἔχειν [κ]ατάσ[τ]ασιν ἐμ φίλ[ων] τελε[υτ]αῖς καὶ ὡς πολλῆς ἀσυμφων[ί]ας ἔγεμεν ὁ λόγος ὃν ἐποιήσατο περὶ τ[ού]των* et fol. 193 *ἐν τῷ [συγ]γράμματι Πραξιφάνης κακὸ[ν] μὲν ἐξάγ[ει] τὸν ἴδιον,* ut tamen cum neque Carnisci neque Praxiphanis argumentum accuratius cognoscere liceat, haec omittenda sint. Neque Peripateticae doctrinae reliquias collegi ex fragmentis quorum memoriam eadem volumina tenent libri quem in Platonis Lysidem scripsit Colotes Coll. Nov. VI, 112. Quo de libro nihil fere constat nisi quod scriptus vel editus est post librum in Euthydemum. Namque in huius seu commentarii seu, quod malo, confutationis reliquiis verba extant *πρὸς τὸν Πλάτωνος Λύσιν γεγραμμένον.*

Iam vero cum dixerimus ita Theophrastum omnem de hac re praeceptoris doctrinam amplexum esse, ut ubi quid Theophrastus senserit ignoretur, ex Aristotelis libris coniectura fieri possit, taceri quidem nequit, nonnulla minus severe et magis ad communem sensum a Theophrasto tractata esse, qui longe suaviore et faciliore quam Aristoteles scribendi genere utebatur.

Cuius discrepantiae ut iam nunc exemplum afferamus, apud Aristotelem nulla vestigia sunt eius quaestionis de qua Ciceronem ad Theophrasti exemplar egisse Gellius l. l. docet *εἰ δεῖ βοηθεῖν τῷ φίλῳ παρὰ τὸ δίκαιον καὶ μέχρι πόσου καὶ ποῖα.* Procul sane aberat philosophus Stagirita ab ea versus hominum infirmitatem indulgentia, ut veras

---

1) *Ἐν πρώτῳ περὶ φιλίας* ap. Athen. XII p. 535 E, *ἐν δευτέρῳ περὶ φιλίας* ap. Athen. VIII p. 349 F. Aliarum scholarum non pauci *περὶ φιλίας* scripserunt veluti Xenocrates, Cleanthes, Chrysippus, (Plutarchus,) Epictetus, Rheginus alii.

amicitias cum ulla iniuria coniunctas esse posse concederet. Immo ferreum hac in re Aristotelis est iudicium Eth. Nic. IV, 12 p. 1126b 32 . . . *δυσχερανεῖ καὶ προαιρήσεται λυπεῖν. κἂν τῷ ποιοῦντι δ' ἀσχημοσύνην φέρῃ καὶ ταύτην μὴ μικρὰν ἢ βλάβην, ἡ δ' ἐναντίωσις μικρὰν λύπην, οὐκ ἀποδέξεται, ἀλλὰ δυσχερανεῖ.*

Sed illo quem diximus philosophorum Peripateticorum in praeceptis de amicitia iudiciisque consensu fit, ut apud posterioris aetatis scriptores Aristotelia et Theophrastea haud facile dispiciantur. Ciceronem quidem vix quisquam putabit praeter librum Theophrasteum eleganter multorumque hominum in usum scriptum Aristotelis ipsum libros consuluisse, qui obscuriores longe et difficiliores erant; ut omittamus verissime Madvigium de fin. exc. VII p. 840 sqq.[2], Petri Victorii [1]) auctoritate, cuius sententiam Zellius [2]) probaverat, haud illepide usum, Stahri [3]) opinionem refutasse eundemque demonstrasse, ubicunque Cicero de Aristotele iudicium ferret, elucere difficiliora certe scripta omnia ab eo pertractata non esse.

Sed quaeritur num praeter testimonium Gellianum ipsius fortasse Ciceronis epistulae quales ad Atticum librorum mittendorum causa scribere solebat Graecum librum significent unde veluti ex fonte de amicitia libellus manaverit. Et legitur quidem in codice Mediceo epist. ad Atticum II, 3, 3: '*Θεοφράστου περὶ φιλοτείας* affer mihi de libris Quinti fratris' marginique adscriptae sunt explicationes quae nullius momenti sunt. Proposuit igitur Petrus Victorius *περὶ φιλοτιμίας*, quae coniectura doctissimorum virorum assensum tulit. Sed cum neque huius libri apud Ciceronem certa

1) ad Eth. Nic. VII, 13.

2) ad Eth. Nic. II p. 319 cf. L. Spengel in Actis Monac. III, 450.

3) Aristotelia II, 156; Aristot. ap. Rom. p. 51.

memoria extet, neque quae supersunt de gloria librorum reliquiae quicquam contineant, quo illa coniectura confirmetur, sola litterarum similitudine Petrus Victorius ductus fuisse videtur [1]). Neque tamen nobis veriora expiscari contigit; namque περὶ φιλίας propositurum temporum rationes redarguent. Literae enim datae sunt anno a. Chr. n. LX, de amicitia dialogus editus annis XVI postea. Hoc igitur loco pro certo indicio uti non licebit, Theophrasti librum in Ciceronis umquam manibus fuisse.

De altero vero scriptore pauca praemittenda sunt. Plutarchi enim de simili argumento libelli servati sunt, in quibus cum Peripateticorum doctrinam saepe sequatur, Aristotelis nomen ne semel quidem, Theophrasti bis affertur. Cuius in vitarum quam in moralium quae vocantur auctoribus investigandis cum longe plures homines operam collocaverint, cautissime in tota hac quaestione versabimur. Hoc tamen constare videtur, scripta [2]) Aristotelia rarissime vel fere numquam a Plutarcho expressa esse. Theophrasti verum librorum usus apud Plutarchum etiamsi vix patet, tamen facillime indagatur. Primum ex Lampriae catalogo accipimus quod fictum esse plane nequit, scripsisse Plutarchum περὶ Θεοφράστου πρὸς τοὺς καιρούς. Aut egregie fallor aut hunc librum qui periit Plutarchus — is enim est auctor — libello de Herodoti malignitate 21 significat, ubi postquam de ingenti tyrannorum numero dixit, quos Lacedaemonii imperio everterint, περὶ ὧν inquit ἐν ἄλλοις ἀκριβέστερον γέγραπται i. e. ἡμῖν. Cum enim et in Plutar-

---

1) Moneo tamen de gloria librum duo volumina comprehendisse aeque ut Theophrasti librum π. φιλοτιμίας v. de off. II, 31; Laërt. V, 45. Sequebatur vero in eo Tullius Peripateticum disputandi genus ep. ad Att. XV, 27, 2. Quid Peripateticae familiae interlocutor in Stoicos proferre potuerit, intelleges ex Cic. pro Archia 26, Tuscul. I, 34. Theophrasteam sententiam servavit Plut. Agid. 2.

2) cf. Volkmann, de vita et scriptis Pl. II, 22.

chi libris, qui supersunt, frustra quaeris quem locum indicaverit auctor et constet librorum primo *πολιτικῶν τῶν πρὸς τοὺς καιροὺς* Theophrastum hac de re egisse (v. Harpocrat. v. *ἐπίσκοπος*, schol. Aeschin. II 80) facilis est coniectura, hunc Theophrasti locum a Plutarcho pluribus fuisse expositum, quo revocantur, qui de Herodoti malignitate libellum legunt. Sed ne in iis quidem Plutarchi libris qui ad nos venerunt *Καιρῶν* Theophrasteorum vestigia frustra quaeres. Quales imitationes iam Henkel 'Stud. z. Gesch. d. gr. Lehre vom Staat' p. 29 ostendit. Praeterea vero multa sunt et in politicis praeceptis et in vitis quae ex his Theophrasti libris Plutarchus sumpsisse censendus est. Veluti ut certissimo exemplo utar de Alcibiadis dicendi arte et indole quae sunt vit. Alcib. 10, praec. ger. reip. 8, de prof. in virt. 9. Nos vero haec scripsimus ut intellegatur neque abhorruisse Plutarchum a Theophrasti librorum lectione neque causam esse cur dubitemus quin Plutarchus librum *περὶ Θεοφράστου πρὸς τοὺς καιρούς* conscripserit. Theophrasti vero de amicitia libros Plutarcho notissimos fuisse inde potissimum colliges quod in vitis quoque sententiae memor est quae in libris *περὶ φιλίας* fuerat. Posse igitur ea quae aeque et apud Plutarchum et apud Ciceronem leguntur ad Theophrastum reduci iis quae prooemii loco disputavimus effectum esse speramus, oportere ad Theophrastum revocari iis quae secuntur probatum imus. Sed ne quis nos iniuria suspicari putet Plutarchum, qui tot volumina diversissimis rebus referta scripserit, saepe non indicasse quid ab aliis scriptoribus sumpserit, proferamus quae nos in hanc sententiam adduxerint. De fraterno amore 20 Plutarchus haec scribit: *εὖ μὲν εἶπε Θεόφραστος, ὡς εἰ κοινὰ τὰ φίλων ἐστί, μάλιστα δεῖ κοινοὺς τῶν φίλων εἶναι τοὺς φίλους.* Cuius sententiae pars prior *κοινὰ τὰ φίλων* inde a Platone saepissime apud scriptores Graecos legitur. Usus est hoc proverbio Aristoteles Eth. Nic. VIII, 11 p. 1159^b extr.; IX, 8 p. 1168^b 7, Menander Frg. Com.

Gr. IV 72 (Terent. Adelph. 804), ut sententia Graeca Cic. de off. I, 51 [1]). Sed de suo Theophrastus hanc sententiam auxerat εἰ κοινὰ τὰ φίλων ἐστί, μάλιστα δεῖ κοινοὺς τῶν φίλων εἶναι τοὺς φίλους, quod in Aristotelis libris non legitur. Iam vide sis quam libere hac sententia veluti sua utatur Plutarchus libello 'quomodo amicus ab adulatore internoscatur' 24, ubi hoc veri amici iudicium esse dicit, κοινὰ γὰρ inquit τὰ φίλων ἡγούμενος οὐδὲν οὕτως οἴεται δεῖν κοινὸν ὡς τοὺς φίλους ὑπάρχειν [2]). Iure igitur suspicari licet Plutarchum etiam ubi auctorum nomina non addiderit, eorum scripta aut in animo aut ante oculos habuisse. Neque vero id hoc libello disceptabimus utrum ipsius Theophrasti librum Plutarchus imitatus sit an inferioris aetatis philosophi, qui et ipse Theophrasti libros περὶ φιλίας adhibuerit.

Atque circumspicientibus nobis qua aptissime ratione hanc operam absolvamus, ne singularum sententiarum tractatione materiem qualem olim a Theophrasto dispositam fuisse qualibuscunque de causis efficiemus, disiciamus utque eadem pluribus locis repetendi molestiam evitemus ex Ciceronis Plutarchique scriptis iudicia praecepta sententiae auctoris secundum rerum ordinem facillime restitui posse videbantur. Quibus Aristoteles amicitias comprehendit genera

---

1) Cuius vocis inventor Pythagoras ferebatur veluti ap. Iulian. imp. or. VIII. I p. 317 Hertl. Platonis vide Phaedr. p. 279 C, Lysid. p. 207 C, Rep. V, p. 449 C, Leg. V, p. 739 C. cf. [Seneca] de mor. 145. Paroemiogr. Gr. I, 106; II, 76 Gotting; Muret. ad Ar. E. N. III, 456 ed. Ruhnk. Proverbii explicationem Clearcheam quae a Schol. Plat. p. 275 Herm. affertur libro περὶ παροιμιῶν tribuunt. v. Frg. hist. gr. II, 320.

2) Adde quomodo Anaxagorae dictum adhibeatur π. ἀοργησ. 16 et π. εὐθυμ. 16 cf. van Lynden de Panaetio p. 115. Verissimum Bernaysii est iudicium Mus. Rhen. VIII, 92: 'Plutarch ... der, selbst wo er nicht ausdrücklich citirt, so gern in erborgten Worten und Gedanken einhergeht.'

tria a Theophrasto neglecta non fuisse Aspasii scholio ad Arist. Eth. Nic. VIII, 8 p. 1158ᵇ 11 fol. 141ᵃ Ald. certiores fimus. Est vero hoc: *λέγει δὲ καὶ Εὔδημος καὶ Θεόφραστος ὅτι καὶ καθ' ὑπεροχὴν φιλίαι ἐν τοῖς αὐτοῖς [εἴδεσι] γίνονται, ἢ δι' ἡδονὴν ἢ διὰ τὸ χρήσιμον ἢ δι' ἀρετήν. γένοιντο γὰρ ἂν καὶ σπουδαῖοι φίλοι ὁ μὲν ἄρχων, ὁ δὲ ἀρχόμενος καὶ τὰ μὲν ἄλλα ἔσονται φίλοι, τὰ δὲ νόμιμα φυλάξουσιν ἐν τῷ εἶναι φίλοι, ὁ μὲν ὑπερεχόμενος, ὅσα προστάττει ὁ νόμος, ὁ δὲ ὑπερέχων* .... [1]). De amicitiis quae inter impares extare possunt, postea agemus, nunc monuisse conducet, in scriptis Plutarcheis Aristoteliam divisionem non apparere, nisi forte ea licentius usum esse putabis de amic. mult. 3, ubi vera amicitia honestatem, voluptatem, utilitatem appeti docet: *ἡ ἀληθινὴ φιλία τρία ζητεῖ μάλιστα, τὴν ἀρετὴν ὡς καλὸν καὶ τὴν συνήθειαν ὡς ἡδὺ καὶ τὴν χρείαν ὡς ἀναγκαῖον.* Sed has notiones operae pretium est animadvertere qua ratione Cicero permiscuerit atque confuderit.

Postquam enim amicitia nos haud facile carere posse probavit, quasi explicaturus addit § 22: 'Neque ego nunc de vulgari aut de mediocri, quae tamen et ipsa delectat et prodest, sed de vera et perfecta loquor, qualis eorum qui pauci nominantur, fuit' [2]). Quis quaeso haec intellegit, nisi praesidiis extrinsecus allatis instructus, cum scriptor ne verbum quidem de tripertita amicitiae natura praemiserit? Neque secuntur, quae istas tenebras dispellant. Solo enim quo praeterea hanc partitionem attigit loco iterum duo certe genera confudit. Cum enim § 30 extr. monuerit, quamquam utilitates multae et magnae amicitiam sequantur, ta-

1) cf. Eth. Nic. VIII, 3 et 4. In quae genera Stoici amicitias diviserint, intelligitur ex Io. Stob. Ecl. II, 6, 6 (p. 565 sq. et 587 sq. Gaisf.) Epicurus amicitiam voluptatis instrumentum esse duxit, fieri vero utilitatis causa, cf. Laërt. X, 120. 148. Ciceron. de fin. I, 66. II, 82.

2) Clemens quoque Alexandr. Peripateticae divisionis male memor esse videtur Strom. II, 19, 101 p. 483 P.

men non ab earum spe causas diligendi proficisci cumque usque ad finem huius disputationis (§ 32 extr.) unius utilitatis rationem habere videatur, subito incidit voluptatis mentio ut hac pro illa utatur [1]. Quae cum ita sint, haec sola explicandi ratio adhiberi potest, cum Theophrastum tria amicitiae genera constituisse constet, M. Tullium discrimina quaedam facta esse memoria tenuisse, severioris vero rationis aut oblitum esse aut subtiliorum definitionum taedium habuisse [2].

Veram amicitiam qualem Theophrastus definiverit ex fragmentis non apparet; attamen dubitari nequit, quin hac quoque in re cum Aristotele conspiraverit. Praeterea tot locis Tulliani libelli Graecum exemplar expressum est, ut de definitionis natura, qualis apud Theophrastum fuerit, iudicare possimus. §. 15 'in quo est omnis vis amicitiae voluntatum studiorum sententiarum summa censensio.' cf. 27. 20. 50. 74. Plutarchus quom. ad. ab am. intern. 5 *ἐπεὶ δὲ τὸ μάλιστα φιλίας ἀρχὴν συνέχον ὁμοιότης ἐστὶν ἐπιτηδευμάτων καὶ ἠθῶν καὶ ὅλως τὸ χαίρειν τοῖς αὐτοῖς καὶ τὸ ταὐτὸ φεύγειν κτλ.* [3] Sed cum eius definitionis natura talis sit, ut a quolibet potuerit proficisci — conferas tantum Sallustianum illud 'idem velle' [4] etc. — Peripateticorum magis doctrinam redolet quod scripsit Cicero § 82: 'Par

---

1) Non minus obtuse Tullius de fin. II 82 Epicuri praecepta reprehendens utilitatem et voluptatem confudit. At III 70 strenue contra Stoicos qui amicitiam utilitatis causa adhibendam censebant, disputavit.

2) Ciceronis 'vera et perfecta amicitia' est Aristotelia *ἀληθινὴ καὶ τελεία φιλία.*

3) cf. Ar. Eth. Nic. IX, 4 *οἱ δὲ [τιθέασι] τὸν συνδιάγοντα καὶ ταὐτὰ αἱρούμενον, ἢ τὸν συναλγοῦντα καὶ συγχαίροντα τῷ φίλῳ.* Rhet. II, 4. Praeterea Xenoph. Conviv. 8, 18.

4) v. Ciceron. or. pro Plancio 5. Quam volgaris haec vox apud scriptores ecclesiasticos fuerit, Alardus Gazaeus indicavit ad Ioann. Cassiani Collat. XVI (Migne IL p. 1013).

est autem primum ipsum esse virum bonum, tum alterum sui similem quaerere'. cf. Eth. Nic. VIII, 4 p. 1156ᵇ 7. *ἡ τῶν ἀγαθῶν φιλία καὶ κατ' ἀρετὴν ὁμοίων*[1]) Hoc enim iterum iterumque repetivere philosophi Peripatetici[2]), inter bonos solos veram amicitiam extare. Viliora quidem amicitiae genera inter bonum malumque hominem esse posse Aristoteles concesserat, perfectam vero amicitiam inter solos bonos. Eth. Nic. VIII, 5 p. 1157ᵃ 16 *δι' ἡδονὴν μὲν οὖν καὶ διὰ τὸ χρήσιμον καὶ φαύλους ἐνδέχεται φίλους εἶναι ἀλλήλοις καί ἐπιεικεῖς φαύλοις καὶ μηδέτερον ὁποιῳοῦν, δι' αὑτοὺς δὲ δῆλον ὅτι μόνους τοὺς ἀγαθούς*[3]). Neque sapientis (v. §§ 68. 18) nomine alius a Cicerone significatur atque qui Aristoteli *σπουδαῖος* vel *ἀγαθὸς*[4]) audit; eundem enim Plato Lysid. p. 210 D *σοφὸν*[5]) vocat, etiamsi amicitiam in utilitate magis quam Aristoteles positam esse putavit. Quid vero cogitemus de Ciceronis iudicio §§ 18. 21. 38 perfectam illam vitiique omnino expertem virtutem, qua carentem amicitiam corrumpi Aristoteles iudicaverat, nimis severe postulandam esse negantis? Quod duplici ratione explicari potest. Aut enim Theophrastus ipse paullo remissius magisque ex hominum moribus hac de re iudicaverat aut vir Romanus definitionem attenuasse putandus est. Mihi quidem facilius probatur M. Tullium sicut amicitiae genera leviore philosophandi genere confuderat, eam virtutem quae fingitur et in philosophorum cogitationibus in-

---

1) Cic. de off. I 55 [familiaritas] nulla firmior, quam cum viri boni moribus similes sunt familiaritate coniuncti. Auct. de rep. Athen. 3, 10. Platon de Leg. VIII p. 837 *φίλον μέν που καλοῦμεν ὅμοιον ὁμοίῳ κατ' ἀρετὴν καὶ ἴσον ἴσῳ.* Nobilissima de eadem re Thucydidis est vox III, 10.

2) Platonem secuti Rep. I, p. 332 A. 335 A. III, p. 402 D. 403 B.

3) cf. Eth. Eud. VII, 2. p. 1236ᵇ 10.

4) cf. Eth. Nic. VIII, 9 p. 1159ᵃ 22 *οἱ ἐπιεικεῖς καὶ εἰδότες.*

5) cf. Sen. de ben. VII, 12. Epictet. diss. II, 22, 3 solos prudentes amare posse statuit *τοῦ φρονίμου τοίνυν ἐστὶ μόνου τὸ φιλεῖν.*

venitur, reiecisse et ad vitam communem in illa voce definienda revertisse.

Tanta virtute cum opus sit ad veras amicitias conciliandas, factum est, ut 'omnis caritas [= *χάρις*] aut inter duos aut inter paucos iungeretur.' 20. Quam sententiam defensuri amicorum parium memoriam revocabant, qui antiquitatis fabulis celebrabantur. Ar. E. N. IX, 10 *οὐ γίνονται γάρ φίλοι πολλοὶ κατὰ τὴν ἑταιρικὴν φιλίαν. αἱ δ' ὑμνούμεναι ἐν δυσὶ λέγονται.* Haec est quam vocant *ἡ κατὰ ζεῦγος φιλία.* Qua voce utitur Plutarchus de am. mult. 2 *τὸν μακρὸν καὶ παλαιὸν αἰῶνα μάρτυρα ἅμα τοῦ λόγου καὶ σύμβουλον λάβωμεν, ἐν ᾧ κατὰ ζεῦγος φιλίαι λέγονται Θησεὺς καὶ Πειρίθους, Ἀχιλλεὺς καὶ Πάτροκλος, Ὀρέστης καὶ Πυλάδης, Φιντίας καὶ Δάμων, Ἐπαμεινώνδας καὶ Πελοπίδας.* Quorum parium priora tria a fabulis, reliqua ab historia petita sunt. Et illa quidem significare videtur Cicero 15: 'ex omnibus saeculis vix tria aut quattuor nominantur paria amicorum'. Sed haec paria tunc temporis adeo celebrata erant, ut uniuscuiusque menti obversarentur, ita ut si quis unum vel alterum par attingeret, omnes ceteros adicere possent. Quod apparet ex libro de fin. I 65 ubi Cicero Epicuri de amicitia praecepta ita percurrit, ut quid ubique desideret, breviter significet. Epicurus enim et docuerat quam plurimos conquirendos esse amicos et gregem amicorum domi ipse tenuit. Hac igitur de re: 'quod quam magnum sit' inquit Cicero 'fictae veterum fabulae declarant, in quibus tam multis tamque variis, ab ultima antiquitate repetitis tria vix amicorum paria reperiuntur, ut ad Orestem pervenias profectus a Theseo.' Quorum tanta gloria fuit, ut ne Toxarim quidem barbarum carmina fugerint, quibus eorum amicitia canebatur. Cf. Bionis frg. 8. Ovid. ex P. II 3, 41.

Animalibus amandi sensum innatum esse ex bestiarum quarundam vita intellegi posse Aristoteles demonstravit Eth. Nic. VIII, 1 p. 1154ª 16 *φύσει τ' ἐνυπάρχειν*

ἔοικε πρὸς τὸ γεγεννημένον τῷ γεννήσαντι καὶ πρὸς τὸ γεννῆσαν τῷ γεννηθέντι, οὐ μόνον ἐν ἀνθρώποις ἀλλὰ καὶ ἐν ὄρνισι καὶ τοῖς πλείστοις τῶν ζῴων κτλ. [1]) Atque eadem prorsus ratione Cicero hoc argumentum adhibet § 27: 'a natura mihi videtur potius quam ab indigentia orta amicitia: applicatione magis animi cum quodam sensu amandi, quam cogitatione quantum illa res utilitatis esset habitura. Quod quidem quale sit, etiam in bestiis quibusdam animadverti potest, quae ex se natos ita amant ad quoddam tempus et ab iis ita amantur, ut facile earum sensus appareat'. Quod argumentum iterum adhibetur § 81. Cum adeo Cicero et Aristoteles conspirent, Theophrastus Aristotelem, Cicero Theophrastum expressisse videntur.

Theophrastus iudicium probaturus de morum similitudine, quam inter amicos intercedere voluit, proverbia quaedam adhibuit, quae apud Plutarchum et Ciceronem hodie leguntur. Primum *ὁ φίλος ἄλλος αὐτός* (cf. Aristot. Eth. Nic. IX, 4 p. 1166ᵃ 31 et IX, 9 p. 1170ᵇ 6 *ἕτερος γὰρ αὐτὸς ὁ φίλος ἐστίν*). Plut. de am. mult. 2. *σύννομον γὰρ ἡ φιλία ζῷον οὐκ ἀγελαῖόν ἐστιν οὐδὲ κολοιῶδες, καὶ τὸ ἄλλον αὐτὸν ἡγεῖσθαι τὸν φίλον* [2]). Ciceroni § 80 is est verus amicus qui est tamquam alter idem. Quam ad vocem proxime accedit pulchrior altera § 23: 'verum enim amicum qui intuetur, tamquam exem-

---

1) cf. Eth. Eud. VII, 1 p. 1235ᵃ 33 *φαίνεται δὲ καὶ ἐν τοῖς θηρίοις ἐνοῦσα φιλία· προαποθνήσκειν οὖν αἱροῦνται τῶν τέκνων.* cf. hac de re Platon. Sympos. p. 207 sq. Non utilitatis causa sed ipsa natura incitante amandi studium gigni colique Cicero identidem Pacuvii ex Duloreste versibus probat. Lael. 24. de fin. II 79. V 63. Idem Stoicorum similem ratiocinationem tradidit de fin. III 62. cf. or. pro Roscio Amerino §. 63.

2) Pythagorae datur a Philone t. VI p. 218 Richt. et in florilegio Florentino 13; Zenoni in glossis quas edidit Beynen Lugd. Bat. 1837 et a Laërt. VII 23. Legitur praeterea in [Senecae] Moral. 20. 145.

plar aliquod intuetur sui'. Theophrasti fortasse vel eius memor ex cuius libris Theophrastea cognoverat, Hieronymus scripsit comment. in Mich. II, 7 col. 516 Vall.: 'Interrogatus quidam, quid esset amicus, respondit alter ego'. Namque Theophrasti nomen paucissimis versibus ante nominaverat Hieronymus.

Alterum proverbium est *μία ψυχὴ ἐν πλείοσι διῃρημένη σώμασιν* [1]) quod significatur ab Aristotele Eth. Nic. IX 8 p. 1168^{b} 7 verbis *μία ψυχή*, integrum legitur apud Plutarchum de am. 8. Dubitari nequit, quin id Ciceronis animo obversatum fuerit scribentis § 92: 'cum amicitiae vis sit in eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus' et § 81 (homo) 'qui et se ipse diligit, et alterum anquirit, cuius animum ita cum suo misceat, ut efficiat paene unum ex duobus'.

Etiamsi igitur amicitias utilitatis causa conciliandas non esse scriptores illi uno ore praecipiebant, sequi tamen summam utilitatem non negabant. Plut. de adul. et am. 5 *ἡ χάρις* [2]) *καὶ ἡ χρεία τῇ φιλίᾳ παρέπεται.* Cicero § 51 'non igitur utilitatem amicitia, sed utilitas amicitiam consecuta est'; § 86 'una est enim amicitia in rebus humanis, de cuius utilitate omnes uno ore consentiunt' [3]). Atque in huius rei expositione Cicero et Plutarchus eo usque conspirant, ut eadem locutione haud ita solita utantur. Plut.: *καθὸ δὴ καὶ λέγεται πυρὸς καὶ ὕδατος ὁ φίλος ἀναγκαιότερος εἶναι.* Cicero § 22: 'Itaque non aqua non igni, ut aiunt, locis pluribus utimur quam amicitia'. Quod unde sumpserint, dubius non sum. Cumque proverbia quae antea

---

1) Diogeni tribuitur in florilegio Florent. (Stob. ed. Gaisf. IV, 20). Multa interprr. Minucii Fel. c. 1 Elmenhorstius et Ouzelius collegerunt.

2) cf. Cic. Lael. §. 86 extr. §. 62.

3) Idem iudicium de voluptate valuit. v. Magn. Moral. II 11 p. 1209^{b} 36 *οὐ γὰρ ἀκολουθεῖ τῇ ἡδονῇ ἡ ἀρετὴ ἀλλὰ τῇ ἀρετῇ ἡ ἡδονὴ ἀκολουθεῖ.* cf. Plut. adv. Colot. 9.

attulimus Aristoteles ipse in disputationem induxerit, hoc Theophrastus attulisse primus censendus est.

Neque vero de utilitate tantum amicitiae scriptores nostri consentiunt, sed eam tam necessariam ducunt, ut sine ea vivi posse negent. In hanc sententiam Cicero § 22 Ennianae vocis memor 'qui potest' inquit 'esse vita vitalis . . ., quae non in amici mutua benevolentia conquiescat?' Neque minoris eam Aristoteles aestimaverat Eth. Nic. VIII, 1 p. 1155[a] 5 *ἄνευ γὰρ φίλων οὐδεὶς ἕλοιτ' ἂν ζῆν ἔχων τὰ λοιπὰ ἀγαθὰ πάντα.* Atque hoc loco adnotare mihi liceat in Themistii quae inscribitur *περὶ φιλίας* oratione Theophrastea mihi non apparuisse sed quod facile suspicere Aristotelem est ubi plane exscripserit veluti or. XXII p. 323, 17 Dind. *ἄνευ δὲ φιλίας οὐδεὶς ἂν ἕλοιτο ζῆν ἔχων τὰ λοιπὰ ἀγαθά* [1]).

Sed quamvis sit necessaria ad beatam vitam amicitia, vera et perfecta rarissime invenitur, quod ne Cicero quidem negavit, qui tamen virtutem mediocrem et quam homines non pauci assequantur requiri putat § 79: 'Digni autem sunt amicitia, quibus in ipsis inest causa cur diligantur. Rarum genus!' Quo cum consentit Aristoteles Eth. Nic.

---

1) de Aristotelis loco a Themistio or. XXVI expresso cf. I. Bernays. Aristot. dial. p. 139. — Tamen et Rose et Heitzius Themistii or. II p. 31, 20—32, 6 in dialogorum fragmentis non numeraverunt. Puto eos similitudine Eth. Nic. IV, 7—9 in errorem ductos et hunc locum Aristotelium a Themistio liberius expressum esse existimasse. Sed prorsus alienum est a more Themistii trium capitum argumenta adeo in breve redigere, ut una sententia evadat eaque ornatior, quod facillime cognosces, si animadverteris quam accurate expressa sint verba Aristot. Eth. Nic. II, 3 p. 1105[b] 6—18 a Themistio orat. II p. 38, 1—10. Nostro vero loco fideliter Aristotelia reddi Themistius verbis significat: *διορίζει δὲ ὧδε· φησί που.* Ex dialogo vero hunc locum sumptum esse voce *τῶν λόγων* aperte indicatur. Et hoc totius loci colore comprobatur. Sed ex quo dialogo ethica ista disputatio deprompta sit, definire non ausim.

VIII, 4 p. 1156^b 19 πᾶσα γὰρ φιλία δι' ἀγαθόν ἐστιν ἢ δι' ἡδονήν, ἢ ἁπλῶς ἢ τῷ φιλοῦντι· καὶ καθ' ὁμοιότητά τινα· ταύτῃ δὲ πάνθ' ὑπάρχει τὰ εἰρημένα καθ' αὑτούς· ταύτῃ γὰρ ὅμοια καὶ τὰ λοιπά, τό τε ἁπλῶς ἀγαθὸν καὶ ἡδὺ ἁπλῶς ἐστίν· μάλιστα δὲ ταῦτα φιλητὰ καὶ τὸ φιλεῖν δὲ καὶ ἡ φιλία ἐν τούτοις μάλιστα καὶ ἀρίστη· σπανίας δ' εἰκὸς τὰς τοιαύτας εἶναι· ὀλίγοι γὰρ οἱ τοιοῦτοι. Iam vero Theophrasteam hanc esse doctrinam scriptores inferioris aetatis tradunt. Hieronymus l. l. 'scripsit Theophrastus tria de amicitia volumina, omni eam praeferens caritati et tamen raram in rebus humanis contestatus est.' Atque idem referunt Vincent. Bellovac. spec. hist. VI, 2 et Walterus Burley de vit. phil. fol. LXVIII^v ed. Colon.

Eas vero amicitias quae aut utilitatis aut voluptatis causa fiant diu manere non posse, iudicasse Theophrastum et sponte intelligitur et auctoris cum imitatoribus comparatione probatur. Aristot. Eth. Nic. VIII, 3 p. 1156^a 19 εὐδιάλυτοι δὴ αἱ τοιαῦταί (i. e. αἱ κατὰ συμβεβηκὸς φιλίαι) εἰσι, μὴ διαμενόντων αὐτῶν ὁμοίων· ἐὰν γὰρ μηκέτι ἡδεῖς ἢ χρήσιμοι ὦσι, παύονται φιλοῦντες. τὸ δὲ χρήσιμον οὐ διαμένει, ἀλλ' ἄλλοτε ἄλλο γίγνεται. ἀπολυθέντος οὖν δι' ὃ φίλοι ἦσαν, διαλύεται καὶ ἡ φιλία, ὡς οὔσης τῆς φιλίας πρὸς ἐκεῖνα. cf. c. 4 p. 1156^b 17 ἡ τοιαύτη (i. e. vera) δὲ φιλία μόνιμος εὐλόγως ἐστίν. Tales locos Theophrastus repetivisse censendus est, cum Cicero § 32 scripserit: 'si utilitas amicitias conglutinaret [1]), eadem commutata dissolveret, sed quia natura mutari non potest, idcirco verae amicitiae sempiternae sunt.' cf. § 100 'Virtus, ... et conciliat amicitias et conservat' eqs. [2])

---

1) Conglutinare Graeco κολλᾶν respondit, quo verbo in eiusdem rei expositione Plutarchus utitur de am. mult. 4 κόλλησις ibid. 5. ξυγκόλλησις Themist. or. XXII p. 326, 31D. cf. Plut. adv. Colot. 10.

2) cf. Xenophont. conv. 8, 14. Plato conv. p. 183^e.

Gravior etiam inter Ciceronem et Plutarchum consensus animadvertitur in iis praeceptis quae ad eligendum amicum pertinent. Ut caute nec nimis cito ametur, in eo fere omnis Peripateticorum doctrina versatur. Cicero § 62 de Scipione: 'saepe . . . querebatur, quod omnibus in rebus homines diligentiores essent: capreas et oves quot quisque haberet dicere posse, amicos quot haberet non posse dicere; et in illis quidem parandis adhibere curam, in amicis eligendis negligentes esse.' Quae antithesis non Scipionis erat sed Socratis v. Xenophont. Memor. II, 4, 2, Laërt. II, 30. Sed nihil obstat, quominus Theophrastum quoque hoc dictum attulisse putemus, cum praesertim Aristoteles in Ethicis Socratis iudicia saepissime aut probet aut refutet. Discamus potius ex hoc loco, quomodo M. Tullius agat adversus eos, qui ei materiem disputandi praebuerint. Ut vero eandem rem a Theophrasto tractatam fuisse existimemus Senecae fragmento movemur e libro de amicitia — si verum nomen est — III, 436 § 97 Haasei: 'rara res est amicitia [non] vulgaris aut exposita, ut implere totas domus possit, [ut] vulgo sibi homines persuasere. An aurum ingenti opera [re]tegi creditis, cuius ubique quaesiti vix sub aliquo monte vena deprehenditur; amicum autem ubique inveniri sine ullo labore, sine ulla investigatione?' Quibus in verbis retinendam censeo Haasei coniecturam 'retegi', quae magis placet quam Hauptii 'legi' (v. Hermae vol. V, 177), qui non satis ponderasse videtur quod sequitur: 'in alto latet aurum'. Nescio an aliis, mihi quidem probatur, Senecam, quem in libro de matrimonio Theophrastea adhibuisse constat, in hoc quoque qualicumque libello Theophrasti vestigia pressisse. Atque copiosae quae frustulis continetur de absente amico disputationis quamvis ipsius Senecae ingenio commutata videatur, origo Peripatetica facile cognosci potest. Cf. Eth. Nic. VIII, 6 p. 1157[b] 10. Ioa. Stob. Ecl. II, 6, 16.

Hanc vero in amicitiis conciliandis neglegentiam ita vitari posse philosophus Eresius docuit, ut ante iudicemus

quam amemus. Notissimum istud Theophrasti dictum per omnem fere antiquitatem ferebatur. Usus eo est Plutarchus de frat. am. 8 *τοὺς μὲν γὰρ ἀλλοτρίους, ὡς ἔλεγε Θεόφραστος, οὐ φιλοῦντα δεῖ κρίνειν ἀλλὰ κρίναντα φιλεῖν.* Quod expressit Cicero § 85 'cum iudicaveris diligere oportet, non cum dilexeris iudicare'; 62 'iudicare difficile est sane nisi expertum, experiendum autem est in ipsa amicitia; ita praecurrit amicitia iudicium tollitque experiendi potestatem'. Exempla imitationum non pauca collegit Ruhnken ad Rutil. Lupum I, 6 p. 22, quae repetere nolo. Graece auctoris nomine praeposito legitur apud Ioa. Stob. flor. 84, 14 *Θεόφραστός φησιν ὅτι τοὺς μὲν ἀλλοτρίους οὐ φιλοῦντα δεῖ κρίνειν, ἀλλὰ κρίναντα φιλεῖν, τοὺς δὲ ἀδελφοὺς ἔμπαλιν.* Haec vero verba etiamsi veritatis speciem praebent, vereor ne extrema *τοὺς δὲ ἀδελφοὺς ἔμπαλιν* de suo addiderit Ioannes, ut hanc Theophrasti sententiam adhibere posset, cum de fraterno amore ageret. Omisere eam clausulam flosculorum sectatores latini veluti Walterus Burley l. l. alii (cf. Caecilii Balbi sent. ed. Woelfflin p. 25). Eandem sententiam Ios. Klein legit in libro Cusano p. 108 [1]), quam quo iure Ribbeckius Com. Rom. ed. 2, p. CXXXIV ad numeros redigere potuerit, prorsus non assequor. Corrupit sententiam Ioannes Walensis Compendiloq. III, 5, 25 'Expedit.. probatos amicos amare, non amatos improbare.' Neque vero absona sunt quae leguntur apud Maximum Tyrium diss. XX, 3 *φιλίας δὲ καὶ κολακείας τίς ἔσται βάσανος; ἆρα τὸ ἐξ ἑκατέρου τέλος; ἀλλ' εἰ ἀναμενοῦμεν τὸ τέλος, ἀλλ' ἡ βλάβη φθήσεται τὴν γνῶσιν. δεῖ δὲ κρῖναι πρὶν ἄρξασθαι χρῆσθαι. ἐὰν δὲ ὑστερῇ τῆς χρήσεως ἡ κρίσις, ὁ χρήσασθαι φθάσας καὶ μεταγνοὺς εἰς οὐδὲν δέον τὴν κρίσιν κατατίθεται.* Adde Himerii eclog. 32, 12 *Ἕπεται δὲ αὐτῇ καὶ ἀρετῶν συμφύτων μύριος θίασος· ὕψος ψυχῆς, μεγαλοπρέπεια γνώμης, ἐλευθέρα φωνή, χεῖρες ἄδωροι, φιλίας πόθος, ἀληθείας*

1) cf. M. Haupt. Hermae. vol. V p. 322 sq.

ἔρως, ἄτρεπτον φρόνημα, οὐκ ἐκ φιλίας ἀρετὴν κρῖνον, ἀλλ' ἐξ ἀρετῆς τὰ τῆς φιλίας σταθμώμενον.

Cicero postquam hanc sententiam exhibuit, statim addit § 43: 'est igitur prudentis sustinere ut currum sic impetum benevolentiae: quo utamur quasi equis tentatis, sic amicitia aliqua parte periclitatis moribus amicorum.' Quae qui legerit Theognidei versus memor 125

Οὐ γὰρ ἂν εἰδείης ἀνδρὸς νόον οὐδὲ γυναικός,
πρὶν πειραθείης ὥσπερ ὑποζυγίου

animoque perpenderit hos ipsos versus Ethicis Eudemiis laudari VII, 2 p. 1237^b 15, Ciceronem illud ex Theophrasto potius quam ex ipsius Theognidis elegiis excerpsisse sibi persuadebit [1]).

Ne nimis cito ametur inculcaturus Aristoteles iam proverbio usus est Eth. Nic. VIII, 4 p. 1156^b 26 *οὐκ ἔστιν εἰδῆσαι ἀλλήλους πρὶν τοὺς λεγομένους ἅλας συναναλῶσαι.* Repetivit Eudemus VII, 2 p. 1238^a 2 *εἰς παροιμίαν ἐλήλυθεν ὁ μέδιμνος τῶν ἁλῶν.* Theophrastum quoque hoc proverbio usum fuisse Ciceronis cum Plutarcho consensus docet. Vide qua ratione Plutarchus hoc dictum inducat de frat. am. 8 *τοὺς μὲν γὰρ ἀλλοτρίους, ὡς ἔλεγε Θεόφραστος, οὐ φιλοῦντα δεῖ κρίνειν ἀλλὰ κρίναντα φιλεῖν· ὅπου δὲ ἡ φύσις ἡγεμονίαν τῇ κρίσει πρὸς εὔνοιαν οὐ δίδωσιν, οὐδὲ ἀναμένει τὸν θρυλούμενον τῶν ἁλῶν μέδιμνον, ἀλλὰ συγγεγέννηκε τὴν ἀρχὴν τῆς φιλίας, ἐνταῦθα δεῖ μὴ πικροὺς εἶναι μηδὲ ἀκριβεῖς τῶν ἁμαρτημάτων ἐξεταστάς,* ut dubius sis quem ad finem Theophrasti vestigia premantur. Alter locus est Plutarcheus, ubi Theophrasti mentio nulla fit de am. mult. 3; praecipit enim scriptor, sit praeter reliquos amicos unus *τὸν θρυλούμενον ἐκεῖνον χρόνῳ τῶν ἁλῶν συγκατεδηδοκὼς μέδιμνον κτλ.* Atque cum scriptores Graeci hoc

---

1) cf. Ciceronem §. 18 'Quin ipso equo cuius modo feci mentionem, si nulla res impediat, nemo est quin eo quo consuevit libentius utatur quam intractato et novo.'

proverbium quasi omnibus notissimum afferant, Cicero ipsis verbis significare videtur, latino sermone usque ad suum tempus usum eo fuisse neminem: § 67 'verumque illud est quod dicitur, multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiae munus expletum sit'. Quod ex Theophrasti libro Ciceronem transtulisse apparet.

Qua re vero amantium iudicia difficiliora fierent Plato Leg. V p. 731 E significavit verbis *τυφλοῦται γὰρ περὶ τὸ φιλούμενον ὁ φιλῶν* et ut Platonicam hanc vocem *τυφλοῦται τὸ φιλοῦν περὶ τὸ φιλούμενον* Plutarchus identidem affert de ad. et am. 1, de cap. ex inim. util. 7. 11. Sed pro Theophrastea eam venditant Hieronymus comment. in Oseam III vol. VI, 110 Vall. et grex imitatorum. Sed ut hic error explicetur, alterius mentio facienda est. Hieronymus enim 'pulchrumque' inquit 'sit illud quod Tullius magis ad sensum quam ad verbum interpretatus est, *τυφλὸν τὸ φιλοῦν περὶ τὸ φιλούμενον*, id est amantium caeca sunt iudicia'. Sed Tulliana pervolventi huius vocis interpretatio nusquam occurret. Probandum igitur Aemilii Luebeckii [1]) iudicium putamus qui statuit Hieronymum vocem Platonicam confudisse cum Theophrastea *τοὺς ἀλλοτρίους οὐ φιλήσαντας δεῖ κρίνειν ἀλλὰ κρίναντας φιλεῖν* [2]) et, cum illam vocem, quae Platonis est, a Cicerone expressam esse diceret, § 85 in animo habuisse qua Theophrasti dictum explicatur.

Maiore etiam temeritate a Waltero Burley Theophrasto praeceptum tribuitur, contra quod eum acriter pugnasse multa indicia arguunt: 'ita amicus esto ut inimicus esse non timeas'. Primum vide quam acrem huius praecepti adversarium se praestet Aristoteles Rhet. II, 13 ubi mores *τῶν πρεσβυτέρων καὶ παρηκμακότων* describit; postquam eos *κακοήθεις, καχυπόπτους, ἀπίστους* vocavit, *οὔτε φιλοῦσι* in-

1) Hieronym. quos noverit scriptores etc. Lips. 1872. p. 94.

2) Fronto ad M. Caesarem ep. III 17 pro Thucydidea hanc vocem habuit.

quit p. 1389^{b} 22 *σφόδρα οὔτε μισοῦσι διὰ ταῦτα, ἀλλὰ κατὰ τὴν Βίαντος ὑποθήκην καὶ φιλοῦσιν ὡς μισήσοντες καὶ μισοῦσιν ὡς φιλήσοντες*. Mox *μικροψυχίαν, ἀνελευθερίαν, δειλίαν* iis tribuit. Cum aetatis igitur infirmitate animique aegritudine dictum illud, quod Biantis fuisse docemur, quadrare putavit. Sed quid de eo Aristoteles iudicaverit dilucide apparet II, 21 p. 1395^{a} 25 ubi de *παροιμιῶν* et *κοινῶν γνωμῶν* usu praecipit. Insidiosi (*ἐπιβούλου* [1]) enim esse dicit *φιλεῖν ὡς μισήσοντα*. Nemo igitur ita Walteri testimonio abutetur, ut Ciceronem § 59—60 contra Theophrastum dicere opinetur. Immo certum est eum aeque ut

---

1) Huius verbi mentione iniecta moneo fugisse Roseum fragmentum Aristotelium a Iulio Polluce Onom. II 135 servatum, quod ne Heitzius quidem neque in libro 'die verl. Schr. d. Ar.' cf. p. 299 neque in fragmentorum collectione Didotiana reliquiis adiecit. Legitur illic *βυσαύχην δὲ ὁ τοὺς μὲν ὤμους ἀνέλκων, τὸν δὲ αὐχένα συνέλκων, ὃν ἐπίβουλον Ἀριστοτέλης φυσιογνωμονεῖ· καὶ βυσαύχενας τοὺς ἀσκοὺς Ἀριστοφάνης κέκληκεν.* De Aristophanis fragmento v. Frg. Com. Gr. II, 2 p. 1215 et Nauckium Ephem. Hall. 1848 N. 65 p. 517. Neque vero ulla dubitatio esse potest quin vera Aristotelis verba a Polluce afferantur, cum locus quo Aristoteles hanc vocem usurpaverit, facillime investigetur. Notum enim est, librum Aristotelium quem de physiognomonia scripsit, non superesse, servari exerptum ex eo ubi legitur p. 810^{a} 17 *οἷς δὲ βραχὺς (ὁ τράχηλος) ἄγαν, ἐπίβουλοι.* Quem ad locum multo uberius quam ut nunc extat ab Aristotele tractatum *βυσαύχην* verbum referendum esse non conicere tantum sed certo argumento evincere licet. Namque physiognomoniam ex tribus auctoribus Loxo, Polemone, Aristotele conflatam et excerptam Rose edidit ex parte Aristot Pseudep. p. 706 sqq., totam Anecd. Gr. et Gr.—Lat. I 105 sqq. Cuius libri fol. 54^{b} (Ar. Ps. 706; An. I 154) legitur: 'idem [Aristoteles] dicit insidiosos qui brevem habent cervicem tanquam si infulciat cetero corpori'; quibus verbis eum qui graeca latine vertit, vocabulum '*βυσαύχην*' circumscripsisse persuasum mihi est. Unde vero Pollux haec verba cognoverit incertum est. Nam in Rufi Ephesii, quo Pollucem in libro II auctore usum esse post Casaubonum et M. Hauptium E. Rohde docuit, quae ad nos venerunt reliquiis non inveniuntur.

Aristotelem et Ciceronem hoc praeceptum [1]) refutasse. Et isti quidem infimae aetatis scriptores sententias dum certis auctoribus attribuunt, saepius fere et falsi sunt et fefellerunt quam candida fide utantur.

Permagnum studium in eo ponendum esse ut cognoscantur qui ad amicitiam idonei sint, Cicero monet § 62: 'homines in amicis eligendis negligentes esse nec habere quasi signa quaedam et notas quibus eos qui ad amicitiam essent idonei iudicarent.' Graecum verbum 'χαρακτήρ' scriptores Romani iis ipsis verbis quae Cicero adhibet 'signis et notis' vertere solent. Quin 'quasi' illud praemissum significare videtur non perfecte verba reddere eam notionem quam in mente tenuerit auctor. Vide Cornificium Rhet. ad Herenn. IV, 50 'Notatio est, cum alicuius natura certis describitur signis, quae sicuti notae quaedam naturae sunt attributa.' Seneca de Stoicorum ethologia ep. 96: 'quidam χαρακτηρισμόν appellant signa cuiusque virtutis et vitii ac notas reddentem, quibus inter se similia discriminentur' [2]). Eiusmodi notationes, quae ingenium Theo-

1) Quod Publilio Syro Gellius N. A. XVII, 14 et Macrob. Sat. II, 7, 11 tribuunt.

2) cf. Casaubon. praef. ad Theophr. char. Alius quidem argumenti sunt Cic. de div. I, 127 verba 'etsi causas ipsas non cernunt, signa tamen causarum et notas cernunt' quod a Posidonio ortum esse videtur cf. C. Wachsmuth 'D. Ansichten d. Stoiker über Mantik' p. 32. Sed accedunt Senecae verba de ira I, 1, 3 'ut furentium certa indicia sunt, audax et minax voltus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietae manus, color versus, crebra et vehementius acta suspiria, ita irascentium eadem signa sunt: flagrant et micant oculi, multus ore toto rubor exaestuante ab imis praecordiis sanguine' etc. Lactant. de ira dei 7. Plut. de coh. ira 10. Praeterea huc referendum est dictum id quod Varroni tribuitur 'ex minimis .orum sumere signa licet' quamquam hoc quoque Senecae est epist. 2, 12 ubi aliquot notationibus praemittuntur verba: 'omnia rerum mnium, si observentur, indicia sunt et argumentum morum ex inimis quoque licet capere.'

phrasteum redoleant apud Ciceronem quidem non leguntur, nisi forte vestigia quaedam, levissima sane, amici et adulatoris distinctionis cognoscere velis. Qua de re certi nil assequeris. Plura fortasse ex Plutarcho colligemus, quem sententias ex Theophrasto transtulisse cognovimus. Idem res a Theophrasto recepit; plurima cum incerta sint, unum quod certum esse videtur, exhibebo; de am. et ad. 9 assentatorum mores describens haec dicit Plutarchus: *καὶ νοσεῖν ὅμοια προσποιοῦνται, κολακεύοντες τοὺς νοσώδεις καὶ μήτε βλέπειν ὀξὺ μήτ' ἀκούειν, ἂν ὑποτύφλοις ἢ ὑποκώφοις συνῶσιν ὥσπερ οἱ Διονυσίου κόλακες ἀμβλυωποῦντος ἐμπίπτοντες ἀλλήλοις καὶ τὰς παροψίδας ἐν τῷ δειπνεῖν καταβάλλοντες.*

Cuius narrationis cum bis mentionem faciat Athenaeus auctorem nominat Theophrastum VI p. 249 F *Πλείστους δ' εἶχε καὶ ὁ υἱὸς αὐτοῦ Διονύσιος τοὺς κολακεύοντας, οὓς καὶ προσηγόρευον οἱ πολλοὶ Διονυσοκόλακας. οὗτοι δὲ προσεποιοῦντο μήτε ὀξὺ ὁρᾶν παρὰ τὸ δεῖπνον, ἐπεὶ ὁ Διονύσιος οὐκ ἦν ὀξυώπης, ἔψαυόν τε τῶν παρακειμένων ὡς οὐχ ὁρῶντες ἕως ὁ Διονύσιος αὐτῶν τὰς χεῖρας πρὸς τὰ λεκάρια προσῆγεν. ἀποπτύοντος δὲ τοῦ Διονυσίου πολλάκις παρεῖχον τὰ πρόσωπα καταπτύεσθαι· καὶ ἀπολείχοντες τὸν σίαλον ἔτι δὲ τὸν ἔμετον αὐτοῦ μέλιτος ἔλεγον εἶναι γλυκύτερον* et X p. 435 E *Θεόφραστος δέ φησι καὶ τοὺς ἑταίρους αὐτοῦ τοὺς κολακεύοντας τὴν τυραννίδα προσποιεῖσθαι μὴ βλέπειν καὶ ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Διονυσίου χειραγωγεῖσθαι καὶ μήτε τὰ παρατιθέμενα τῶν ἐδεσμάτων μήτε τὰς κύλικας ὁρᾶν· διὸ κληθῆναι Διονυσοκόλακας.* Non igitur veremur ne temerarii videamur cum eo adducamur ut notationes aliquot Theophrasteas disputationibus suis inseruisse Plutarchum statuamus. Legi volumus haec: de am. et ad. 8 *τοιοῦτος γὰρ οἷος εἰ ψέγοις τινὰ τῶν φίλων πρὸς αὐτὸν εἰπεῖν ʻβραδέως πεφώρακας τὸν ἄνθρωπον· ἐμοὶ μὲν γὰρ οὐδὲ πρότερον ἤρεσκεν.ʼ ἂν δ' αὖ πάλιν ἐπαινῇς μεταβαλλόμενος, νὴ Δία φήσει συνήδεσθαι καὶ χάριν ἔχειν αὐτὸς ὑπὲρ τοῦ ἀνθρώπου καὶ πιστεύειν. ἂν δὲ βίον ἀλλακτέον,*

ἕτερον εἴπῃς, οἷον εἰς ἀπραγμοσύνην καὶ ἡσυχίαν μεταβαλλόμενος, [1] 'πάλαι γε ἐχρῆν' φησί 'θορύβων ἡμᾶς ἀπηλλάχθαι καὶ φθόνων.' ἂν δὲ πάλιν ὁρμᾶν δοκῇς ἐπὶ τὸ πράττειν καὶ λέγειν, ὑπεφώνησεν 'ἄξια σαυτοῦ φρονεῖς· ἡ δ' ἀπραγμοσύνη γλυκὺ μέν, ἀλλ' ἄδοξον καὶ ταπεινόν.'

Ibid. c. 10 ὁ δὲ κόλαξ ἀεὶ μνημονεύων τοῦ τὰ δεύτερα λέγειν ὑφίεται τῇ ὁμοιότητι τῆς ἰσότητος, ἡττᾶσθαι πανταχοῦ καὶ ἀπολείπεσθαι πλὴν τῶν φαύλων ὁμολογῶν. ἐν δὲ τοῖς φαύλοις οὐ παρίησι τὸ πρωτεῖον, ἀλλά φησιν, ἂν ἐκεῖνος ᾖ δύσκολος, αὐτὸν εἶναι μελαγχολικόν· ἂν ἐκεῖνος δεισιδαίμων, αὐτὸν θεοφόρητον· ἐρᾶν ἐκεῖνον, μαίνεσθαι δ' αὐτόν. 'ἀκαίρως' φησίν 'ἐγέλας, ἐγὼ δ' ἐξέθνησκον ὑπὸ τοῦ γέλωτος·' ἀλλ' ἔν γε τοῖς χρηστοῖς τοὐναντίον. αὐτός φησι ταχέως τρέχειν, ἵπτασθαι δ' ἐκεῖνον· αὐτὸς ἱππεύειν ἐπιεικῶς, 'ἀλλὰ τί πρὸς τὸν ἱπποκένταυρον τοῦτον; εὐφυής εἰμι ποιητὴς καὶ στίχον οὐ φαυλότατον γράφω,

'βροντᾶν δ' οὐκ ἐμὸν ἀλλὰ Διός.'' [2]

Praeterea c. 13 (p. 57 B C.); tum c. 15 οἱ κόλακες ἅπτονται μάλιστα τοῖς ἐπαίνοις, ὅταν ἐπαινεῖν μὴ δοκῶσιν ἀλλ' ἕτερόν τι πράττειν. ὁ γὰρ ἕδρας εἴκων καὶ κλισίας ἐπιόντι καὶ λέγων πρὸς δῆμον ἢ βουλὴν ἂν αἰσθηταί τινα τῶν πλουσίων βουλόμενον εἰπεῖν, ἀποσιωπῶν μεταξὺ καὶ παραδιδοὺς τὸ βῆμα καὶ τὸν λόγον ἐνδείκνυται σιωπῶν μᾶλλον τοῦ βοῶντος ὅτι κρείττονα νομίζει καὶ διαφέροντα τῷ φρονεῖν ἐκεῖνον. ὅθεν ὁρᾶν ἔστιν αὐτοὺς ἕδρας τε τὰς πρώτας ἐν ἀκροάσεσι καὶ θεάτροις καταλαμβάνοντας, οὐχ ὅτι τούτων ἀξιοῦσιν αὑτούς, ἀλλ' ὅπως ὑπεξιστάμενοι τοῖς πλουσίοις κολακεύωσι· καὶ λόγου κατάρχοντας ἐν συνόδοις καὶ συνεδρίοις, εἶτα παραχωροῦντας ὡς κρείττοσι καὶ μεταθεμένους ῥᾷστα πρὸς τοὐναντίον, ἄνπερ ᾖ δυνατὸς ἢ πλούσιος ἢ

---

1) μεταβαλλόμενος scripsi pro μεταβολόμενος.

2) Si recte, ut facere videntur, Callimacho hunc versum tribuere viri docti (v. O. Schneider Callimach. II p. 647) extrema verba Theophrasti esse nequeunt.

ἔνδοξος ὁ ἀντιλέγων. Imprimis vero legas c. 17, qui characterismus omnium proxime ad genus Theophrasteum accedit, quale in libello Characterum animadvertimus: *ὁ δὲ κόλαξ πρῶτον μὲν ἐνδείκνυται τὸ πικρὸς εἶναι καὶ περισπερχὴς καὶ ἀπαραίτητος ἐν τοῖς πρὸς ἑτέρους (οἰκέταις γὰρ αὐτοῦ χαλεπός ἐστι καὶ συγγενῶν καὶ οἰκείων ἐπεμβῆναι δεινὸς ἁμαρτήμασι καὶ μηδένα θαυμάσαι μηδὲ σεμνῦναι τῶν ἐκτὸς ἀλλ' ὑπερορᾶν, ἀσυγγνώμων δὲ καὶ διάβολος ἐν τῷ πρὸς ὀργὴν ἑτέρους παροξύνειν, θηρώμενος μισοπονηρίας δόξαν, ὡς οὐκ ἂν ἑκὼν ὑφέμενος παρρησίας αὐτοῖς οὐδὲ ποιήσας οὐδὲν οὐδ' εἰπὼν πρὸς χάριν), ἔπειτα δὲ τῶν μὲν ἀληθινῶν καὶ μεγάλων ἁμαρτημάτων οὐδὲν εἰδέναι προσποιούμενος οὐδὲ γιγνώσκειν, πρὸς δὲ τὰ μικρὰ καὶ τὰ ἐκτὸς ἐλλείμματα δεινὸς ἆξαι καὶ μετὰ τόνου καθάψασθαι καὶ σφοδρότητος, ἂν σκεῦος ἀμελῶς ἴδῃ κείμενον, ἂν οἰκοῦντα φαύλως, ἂν ὀλιγωροῦντα κουρᾶς ἢ ἀμπεχονῆς ἢ κυνός τινος ἢ ἵππου μὴ κατ' ἀξίαν ἐπιμελόμενον.* [1] *γονέων δὲ ὀλιγωρία καὶ παίδων ἀμέλεια καὶ ἀτιμία γαμετῆς καὶ πρὸς οἰκείους ὑπεροψία καὶ χρημάτων ὄλεθρος οὐδέν ἐστι πρὸς αὐτόν, ἀλλ' ἄφωνος ἐν τούτοις καὶ ἄτολμος, ὥσπερ ἀθλητὴν ἀλείπτης ἐῶν μεθύειν καὶ ἀκολασταίνειν, εἶτα περὶ ληκύθου χαλεπὸς ὢν καὶ στλεγγίδος, ἢ γραμματικὸς ἐπιπλήττων παιδὶ περὶ δέλτου καὶ γραφείου, σολοικίζοντος δὲ καὶ βαρβαρίζοντος οὐ δοκῶν ἀκούειν. τοιοῦτος γὰρ ὁ κόλαξ, οἷος ῥήτορος φαύλου καὶ καταγελάστου μηδὲν εἰπεῖν πρὸς τὸν λόγον ἀλλὰ περὶ τῆς φωνῆς αἰτιᾶσθαι καὶ χαλεπῶς ἐγκαλεῖν ὅτι τὴν ἀρτηρίαν διαφθείρει ψυχροποτῶν καὶ σύγγραμμα κελευσθεὶς ἄθλιον διελθεῖν αἰτιᾶσθαι τὸ χαρτίον ὡς δασὺ καὶ τὸν γραφέα μιαρὸν καὶ ὀλίγωρον ἀποκαλεῖν.* Atque horum locorum cum omnis color sit Theophrasteus tum maxime vocum *τοιοῦτος οἷος* et *δεινός* usus iteratus. Neque miraberis quod in hoc libello fere solo notationes leguntur, quoniam argumentum prae ceteris ido-

1) Praeter necessitatem Hercher lacunam indicavit.

neum fuit. Habes tamen similia in libello *π. πολυφιλίας* c. 6 (p. 95 D *καίτοι — ζηλοτυπίαν*). Quibus de notationibus accuratius iudicare conemur. Atque in reliquis quidem libris moralibus, qui sub Plutarchi nomine circumferuntur, non pauca leguntur iis quae modo exhibuimus consimilia, ut qui minus subtiliter ad sermonem animum adverterit omnia aut a Plutarcho ficta aut ex unius auctoris libris translata esse facile existimet. Atque haec numeris indicasse iuvabit. de sui laude 10. 12. de animi tranq. 16, de curios. 2. 6. 7. 8. 9, de vit. pud. 6. 8, de divit. am 4. 7, de garr. 15. 19. 21. 22. Quae inter hos locos Plutarcheos et Theophrasti characteres intercedunt similitudines [1]) eius generis sunt, in quae quicunque mores describendi officium suscepit, sponte incidere potuerit. Sed nullo modo mihi persuadere possum casu factum esse quod in iis notationibus quas numeris significamus nusquam aut *τοιοῦτος-οἷος* aut *δεινός* c. aoristo legitur. Et *τοιοῦτος-οἷος* vox illis temporibus usitatissima erat; ne comici quidem poetae ab ea abstinuerunt. cf. Antiphanem ap. Athen. III p. 108 E (F. C. G. III, 92). Tamen hoc est legitimum notationum Theophrastearum exordium quamque ei fuerit proprium ex omnibus reliquiis cognosces. Aristotelis problemat. XXX, 1 quam partem libri Theophrastei *περὶ μελαγχολίας* Prantl esse intellexit eiusdem vocis usu insignis est. Longe vero gravius alterum est indicium, *δεινός* vocabuli cum aoristo usus. Quo cum

1) De sui laude 10 *εἰώθασιν ἔνιοι τοὺς ταὐτὰ προαιρουμένους καὶ πράττοντας αὐτοῖς καὶ ὅλως ὁμοιοτρόπους, ἐπαινοῦντες ἐν καιρῷ* nescio an Casaubonum commoverint, ut apud Theophrastum quoque (de oligarcho) *καὶ τοιαῦτα ἕτερα πρὸς τοὺς ξένους καὶ τῶν πολιτῶν τοὺς ὁμοτρόπους καὶ ταὐτὰ προαιρουμένους* scribendum putaret *ὁμοιοτρόπους*. de curios. 2 *ἡμεῖς δὲ . . . ἑτέρους γενεαλογοῦμεν, ὅτι τοῦ γείτονος ὁ άππος ἦν Σύρος, Θρᾷττα δὲ ἡ τήθη* cf. Theophr. Char. 28 *ἡ μέντοι ήτηρ εὐγενὴς Θρᾴττα ἐστίν*. de curios. 6 invidiae definitio communis est toicis et Peripateticis. ibid. 8 *μή τι καινόν;* cf. Th. Ch. 8 *λέγεταί τι καινόν;*

Theophrastus in Characteribus locis undeviginti usus sit, Aristo Peripateticus, cuius notationes Philodemus nobis tradidit, ne semel quidem [1]). Atque eandem locutionem adhibuerat Theophrastus eo fragmento quod verissime Wyttenbachius statuit ex dialogo *Καλλισθένης ἢ περὶ πένθους* inscripto Plutarchum sumpsisse consol. ad Apoll. 6 *ἄσκοπος γὰρ ἡ τύχη,* [2]) *φησίν ὁ Θεόφραστος καὶ δεινὴ παρελέσθαι τὰ προπεπονημένα καὶ μεταρρίψαι τὴν δοκοῦσαν εὐημερίαν, οὐδένα καιρὸν ἔχουσα τακτόν.* Quo argumento ex dicendi genere petito nescio an coniectura confirmetur Theophrasti esse eas notationes quas Plutarchus in libris de amico et adulatore et de amicorum multitudine descripsit. Quod qui concesserit vix dubitabit, quin has ipsas notationes Cicero in animo habuerit, ubi de notis et signis loquitur § 82.

Restat tamen scrupulus quem si eximere non datur, tamen paullulum removebimus. Facile enim aliquis obiciet et notationes de quibus quaerimus et narrationem de adulatoribus Dionysii tyranni magis probari fuisse in libro *περὶ κολακείας*, quem inter Theophrastea scripta affert Laërtius V 46, cuiusque fragmentum legitur apud Athenaeum VI p. 254 D [3]) quam in libris *περὶ φιλίας*. Qua de re si coniecturam

---

1) Alienum enim est exemplum col. XXIII.

2) Ut intellegas quam sibi constans sit sermo Theophrasteus, lege reliquias quibus similes prosopopoeiae continentur. Plut. de div. am. 8 *ἄπλουτος ὁ πλοῦτός ἐστιν ὥς φησι Θεόφραστος καὶ ἄζηλος ἀληθῶς* v. Plut. v. Lycurg. 10 (unde accepit Porphyr. de abst. VI, 4) et 24. Respicias schol. Plat. Leg. I p. 631 C. quo negasse Theophrastum Plutum vita praeditum esse cognoscitur. cf. Plut. de div. am. 10 *μηδενὸς ὁρῶντος μηδὲ προσβλέποντος ὄντως τυφλὸς γίνεται καὶ ἀφεγγὴς ὁ πλοῦτος κτλ.*; quam sententiam auxit Demetrius Phalereus qui *οὐ μόνον τὸν πλοῦτον ἔφη τυφλὸν ἀλλὰ καὶ τὴν ὁδηγοῦσαν τύχην* secundum Laërt. V 82. In Fortunae vero inconstantia rerumque vicissitudinibus declamandis nimii erant Peripatetici. V. Demetri locum in excerpt. Polybianis XXX, 3.

3) Quod intellexit I. G. Schneider Theophr. oper. V p. 201.

facere licet, perquam probabile videtur, ipsorum *περὶ φιλίας* librorum partem *περὶ κολακείας* inscriptam fuisse. Est enim notum non raro librorum partes suis nominibus a Laërtio numerari. cf. H. Usener Anal. Theophr. p. 15 sq. Sed de notationibus hactenus.

Nunc videamus quas virtutes ad amicitiam conservandam maxime idoneas habuerit Theophrastus. Fidei cui tantum tribuit Cicero § 65 ad amicitias stabiliendas, Theophrastum quoque rationem habuisse sponte intellegitur; [1]) quod vero Walterus Burley l. l. sub nomine Theophrasti sententiam affert: 'Amici fides coagulum est amicitiae' id pro argumento haberi nolumus. Nam paullo ante eidem auctori tribuerat sententiam 'amicitias immortales esse oportet.' Quam tamen Livii esse Woelfflinus intellexit. Cum igitur iam hoc loco scriptorum notae plane turbatae sint, insequentium sententiarum indici fides nulla habeatur necesse est.

Veritatem vinculum, sed cum morositate coniunctam venenum amicitiae Theophrastus habuit. Morositatem nocere, suavitatem sine assentatione condimentum esse amicitiae Aristoteles docuerat Eth. Nic. VIII, 6 et 7, qui *τὴν φιλίαν μέσην εἶναι κολακείας καὶ ἔχθρας* putavit. De sententiarum auctoritate quas Walterus hac de re Theophrasti nomine praescripto affert, iudicium cohibeo. Sunt vero haec: 'Amicum blandum cave, cuius verbum semper est dulce. Bonus amicus gravius irascitur. Amicum laedere ne ioco quidem oportet.' Cf. Cic. §§ 66. 89. 90. 92. Plut. de am. et ad. 22. 26. 27. Quicumque Ciceronis locos quos modo indicavimus legit nostramque disputationem usque ad hunc locum

---

1) Arist. Eth. Nic. VIII, 5 p. 1157a 22.

2) Amicitiam inter *φειδωλίαν* et *φιλαυτίαν* mediam esse docuerat nescio quis Peripateticus apud Stob. Ecl. II, 6, 16. Subtilior longe est Aristoteles Eth. Nic. IV, 12 ubi inter *ἀρέσκους* et *δυσέριδας* seu *δυσκόλους* eos esse docet, quorum virtus nomine quidem careat, sed ad amicitiam proxime accedat.

secutus est, Theophrasti nomen posse inscribi concedet iis quae Plut. dicit c. 26 (p. 67 B) *εὖ μὲν εἴρηται τὸ δεῖν ἐν ταῖς ὀργαῖς καὶ ταῖς διαφοραῖς ταῖς πρὸς τοὺς φίλους μάλιστα πράττειν τι καὶ σκοπεῖν τῶν ἐκείνοις συμφερόντων ἢ πρεπόντων, οὐχ ἧττον δὲ τούτου φιλικόν ἐστι τὸ παρορᾶσθαι καὶ ἀμελεῖσθαι δοκοῦντας αὐτοὺς ὑπὲρ ἄλλων ἀμελουμένων παρρησιάζεσθαι καὶ ὑπομιμνήσκειν.*[1]) Neque quisquam puto mirabitur quod talia a Theophrasto accurate exposita sunt. Ut enim acute mores hominum, gestus, voces observavit, ita cotidianae vitae praecepta condidit. Scripsit *ὁμιλητικόν* et quae apud Plut. quaest. conv. II, 1, 2. 3. 4 (et 5, 6) leguntur, ea puto ab eo esse profecta, cuius nomine Plutarchus hanc disputationem finit: *Ὀνειδισμὸς γάρ ἐστιν ἁμαρτίας παρεσχηματισμένος τὸ σκῶμμα κατὰ τὸν Θεόφραστον* quae verba integra sunt cf. Macrob. sat. VII, 3, 2.[2]) Quid Theophrastus statuerit in quaestione, quem ad finem iniuriae possint admitti si amicorum causa fiant, Gellius tradidit I, 3, 25: 'Verba adeo ipsa Theophrasti super ea re adscribsi: *οὐκ εἴ τι που τῷ γένει τιμιώτερον, ἤδη καί, ὁτιοῦν ἂν ᾖ μέρος τούτου, πρὸς τὸ τηλίκον θατέρου συγκρινόμενον, αἱρετὸν ἔσται. Λέγω δὲ οἷον, οὐκ εἰ χρυσίον τιμιώτερον χαλκοῦ καὶ τηλίκον τοῦ χρυσίου, πρὸς τὸ τηλίκον χαλκοῦ ἀντιπαραβαλλόμενον, πλέον δόξει· ἀλλὰ ποιήσει τινὰ ῥοπὴν καὶ τὸ πλῆθος καὶ τὸ μέγεθος.*[3]) Cf. Ciceronis §§ 35. 36. 40. 44. 61. 82. Iam vero non dubito

---

1) cf. Aristot. Eth. Nic. IV, 12 *ἀναφέρων δὲ πρὸς τὸ καλὸν καὶ τὸ συμφέρον στοχάσεται τοῦ μὴ λυπεῖν ἢ συνηδύνειν* et mox *καθ' αὑτὸ μὲν αἱρούμενος τὸ συνηδύνειν, λυπεῖν δ' εὐλαβούμενος.*

2) Quae vero eius modi sunt apud Dionem Chrysost. or. LXXI (II 241 Dind.) ea referas ad Stoicos: cf. de Chrysippo Plut. quaest. conv. IX, 14, 1.

3) Initium nondum restitutum: in libris est *οὐκ οἶδ' εἶπου τούτῳ*. In altera sententia Buecheleri est emendatio *οὐκ εἰ* pro *οὐ καί*. Interpretamentum denique *μέγεθος* post alterum *χαλκοῦ* reieci.

quin in politicis quoque disputationibus a Theophrasto idem argumentum tractatum fuerit. De cuius disputationis natura te docebit Plutarchus praec. ger. reip. 13.

Sed cum de finibus egerimus hanc materiem absolvamus. Plut. vita Catonis min. 37 κινδυνεύει τὸ λίαν φιλεῖν ὥς φησι Θεόφραστος αἴτιον τοῦ μισεῖν γίνεσθαι πολλάκις.[1] Hoc eo consilio esse dictum videtur quo Tullianum § 75 'Recte etiam praecipi potest in amicitiis, ne intemperata quaedam benevolentia, quod persaepe fit, impediat magnas utilitates amicorum.' v. § 78. Sed secernenda ab ea sententia haec est in quam Cicero § 45 invehitur quamque a Theophrasto ipso reiectam esse Plutarchi de am. mult. 6 cum Tullio consensus docet. Uterque enim pugnat cum Euripide qui Hippol. 253 dixerat:

χρῆν γὰρ μετρίας εἰς ἀλλήλους
φιλίας θνητοὺς ἀνακίρνασθαι.

Quam extremo loco attingere licet in doctrina de excellentiis,[2] cuius fundamenta Plato Leg. VI p. 757 A posuerat, Cicero Peripateticorum praecepta sequitur. Neque quod Plutarchus de am. et ad. 28, cum ne beatos quidem homines summisve ordinibus natos amicis carere posse doceat, Euripidis versum Orest. 667

Ὅταν ὁ δαίμων εὖ διδῷ, τί δεῖ φίλων;

scite sane adhibet, id ipsius ingenio tribuet, qui eundem versum apud Aristot. Eth. Nic. IX, 9 legerit.

In eo quoque cum Aristotele Cicero consensit quod tyrannos amicitia frui praefracte negat. E. N. VIII, 13. de amic. 62; sed hoc iudicium, ut par est, non soli Peripatetici ferebant. Stoicorum sententiam habes apud Maxim. Tyrium diss. XX, 7 τυράννῳ οὐδεὶς φίλος, βασιλεῖ δὲ οὐδεὶς κόλαξ.

Hic vero finem nostrae disputationis ponamus. Nos

---

1) cf. Ruhnken ad Rutil. Lupum p. 23.
2) v. Arist. Eth. Nic. VIII, 8 et 13.

quidem non fugit, argumenta non idem omnia valere, neque nos abstinuisse a talibus quibus si sola starent in nostram sententiam abuti minime liceret. Tamen factum esse speramus ut de libri Theophrastei, cuius praeter hiulca quaedam fragmenta supererat nihil, unde accuratior notitia percipi posset, et argumento et sententiis iudicandi facultas facta sit. Plutarchus utrum ipse Theophrasti librum in manibus habuerit et in argumento tractando pluribus auctoribus usus sit an adhibuerit unum scriptorem qui ipse omnem materiem congesserit, iudicare noluimus. Id pro certo affirmari potest, non pauca esse in libellis istis Plutarcheis tam diversa a Theophrasti ingenio, ut Stoicam originem redoleant. Quin ne Ciceronem quidem Theophrasti libros *περὶ φιλίας* evolvisse, eo certe temporis momento ubi Laelium libellum condiderit, sunt quae suspicionem moveant.

Theophrastus enim tribus quibus materiem absolvit voluminibus facere non potuit quin non graviora tantum omnia fuse et satis verbose exponeret sed etiam ad fictas quasdam quaestiones quae e vita minus quam e ratione petitae erant, subtiliter et acute solvendas deduceretur. Et posterioribus Graecis quantopere haec in deliciis fuerint notum est. Ut inutilia colebantur ita neglegebantur gravia. Componebantur ex summae auctoritatis libris quae delicatis Graeculorum mentibus commoda essent. Electis vero quae videbantur summis rebus libros ipsos neque legebant neque describebant. Raro itaque factum est ut, quorum summaria lectitabantur, supersint exemplaria integra. Quo fato ipsum Theophrastum graviter afflictum esse notum est. Iam vero ne notissima proferre videar neve inferiorum temporum mores ad auream Romanarum literarum aetatem temere transferre, quantum vel tunc rhetorica studia valuerint, animadverte. Vitam malum, mortem bonum exoptabile esse docentes vide quanto consensu iisdem fabulis, sententiis, poetarum versibus usi sint scriptores Graeci Romanique, Aristoteles Eudemo, Theophrastus Callisthene, Crantor *περὶ*

πένθους libro, Axiochi auctor, Plutarchus consolatione ad Apollonium, Sextus Empiricus, Cicero Tusculanis, Seneca ad Polybium consolatione (10. 11). Huius quidem loci non est exponere quantum alius auctor alii debeat, quantum de suo adiecerit. Ii vero levius iudicium tulerunt qui, quod Plutarchus permulta Crantori debet, Ciceronem quoque earum rerum omnium, in quibus cum Plutarcho conspiraret, Crantore Academico auctore usum esse statuerent. Deorum de mortis praestantia tria iudicia Plutarchus Ciceroque afferunt. Quorum id quod Elysio datum est ex Crantoris libro se cognovisse Cicero confitetur Tusc. I 115, sed ita ut cetera aliunde sumpta esse certissimum sit. Postquam enim quid et Iuno Argiva et Delphicus Apollo senserint, narravit, continuo tertium exemplum inducit his verbis 'simile quiddam est in Consolatione Crantoris'. Iis vero quae ante exposuit, praemisit verba, quae nobis gravissima videntur: 'Deorum immortalium iudicia solent in scholis proferre de morte' etc. Quae cum ita sint, casu factum esse nemo arbitrabitur quod eorum qui haec tractabant Elysii exemplo usus est nemo, narratio vero, quae de Argivae sacerdotis filiis ferebatur sexcenties fere repetita est. Nemo nescit Ciceronis temporibus Romae, in Graecia vero longe prius artem rhetoricam omnia quae in disciplinis politicis et ethicis excogitata erant, ita in suum usum convertisse ut hae artes Rhetoricae partem efficere viderentur. In problematis Aristotelicis XXX, 9 auctor docet hoc interesse inter philosophi et rhetoris studia, ut ille definiat quid sit iniuria quidve tyrannis, hic exponat esse aliquem iniuriosum vel quid sit tyrannus. Maxime puto per theses quae vocabantur hanc philosophorum doctrinam in rhetorum scholas translatam esse. Et Peripatetica praecepta ad talia rhetorum artificia exornanda adhiberi solita esse Theo rhetor significat, qui progymn. 2 Aristotelem et Theophrastum principes thesium auctores nominat. cf. prog. 12, Hermog. prog. 11, Aphthon. prog. 13 alios. Idem Tacitus indicat dial. 31,

qui 'a Peripateticis' ait 'oratores accipere aptos et in omnem disputationem paratos locos'.

Atque de amicitia simili ratione disputari in scholis moris fuisse cum re ipsa probabile sit, tum certis testimoniis confirmatur. Hieronymus enim eo loco quem identidem indicavimus paucissimis versibus ante quam Theophrasti et Ciceronis sententias affert 'Legi' inquit 'in cuiusdam controversia: amicus diu quaeritur, vix invenitur, difficile servatur'. Unde p. Chr. n. sec. IV controversiarum aut libros aut memoriam superfuisse apparet, quibus de amicitia agebatur. Neque in Quintiliani institutione desunt loci quos in talibus disputationibus tractatos fuisse appareat, velut V, 11, 26 'Neque enim ut navis utilior nova quam vetus, sic amicitia', V, 11, 41 'Ubi amici, ibi opus', V, 12, 16 'quid in potentes amicos dicendum sit'. (Cf. Horat. Sat. II, 6, 70; de arte poet. 310.)

Sed hanc quam in fine subiecimus disputationem eorum maxime causa instituimus, qui dum Tullianum legunt libellum ex inconstanti disputandi genere quo modo ad hanc modo ad illam quaestionem auctor se confert, ne Theophrasti quidem librum a Cicerone perlectum esse suspicionem capiant. Quod iudicium licet mihi quidem quam maxime probetur, certis argumentis confirmare mihi non contigit. Id plane certum est neque librum *περὶ εὐδαιμονίας* legisse Ciceronem quem quinto de finibus sequi se simulat, neque Callisthenem et librum de devitiis. De quinto libro de finibus Madvigius vere iudicavit. Et *περὶ πλούτου* librum quem affert de off. II, 56 et 64 non novit nisi ex Panaetii refutatione satisque incommode, ut mihi videtur, Cimonis hospitalitatem in disputationem infert. Neque quod Tullius Tuscul. V c. 9 postquam de Theophrasti dogmatis quae libris *περὶ εὐδαιμονίας* exposita erant dixit, subito transit ad sententiam ex Theophrasti Callisthene sumptam id quisquam indicio esse putabit, omnem Theophrasti philosophiam ita a Cicerone pertractatam fuisse, ut ex quoque

libro promere potuerit, quod disputationi aptum foret. Immo ea omnia ex adversariorum libris transcripta sunt, quod nonnumquam facile probatur. Quae cum ita sint, hac certe ex parte suspicio quam de Tulliana Theophrasti imitatione movimus, confirmari videtur.

EPIMETRVM.

Non leviter minimum me tribuisse satis amplae de amicitia sententiarum collectioni quam Walter Burley libro de vita et moribus philosophorum in vita Theophrasti enumerat, haec probent. Tribuit ille Theophrasto fol. LXVIII ed. Col.:

I. Expedit tam probatos amicos amare quam amaturos probare.
II. Amicitias immortales esse oportet.
III. Quanti est sine anima corpus; tanti est sine amicis homo.
IV. Cum amicis orationes breves, amicitias longas esse oportet.
V. Ita amicus esto, ut inimicus esse non timeas.
VI. Fortunato amico vocatus, infortunato non vocatus praesto sis.
VII. Amicum blandum cave, cuius verbum semper est dulce.
VIII. Bonus amicus gravius irascitur.
b. Amicum laedere ne ioco quidem oportet.
IX. Amico exhibere ea te decet, quae tibi exhiberi velis.
X. Amici fides coagulum est amicitiae.
XI. Pro amico occidi expedit quam cum inimico vivere.

XII. Ex inimico vindictam, si inimicum te senserit, perdidisti.
b. Gravius enim adversarium securitate decipies.
c. Nocere nescit qui se nociturum prodiderit.

XIII. Amantium caeca sunt iudicia.

XIV. Scripsit Theophrastus librum de amicitia, in quo amicitiam omni caritati praefert, sed raram in rebus humanis esse testatur.

Quae collectio ab eadem sine dubio profecta est atque ea quam Woelfflin e libro Monacensi edidit (Caecil. Balb. p. 25). Quae tamen ita inter se differunt, ut cum collectio Monacensis pluribus etiam sententiis aucta sit, tamen quo modo tot errores nasci potuerint clarius explicat. Iam vero ea quoque collectio, ex qua et Walteri olim et sententiae Monacenses transcribebantur, ita interpolata erat, ut inde a secunda usque ad paenultimam omnes sententias iniuria Theophrasto tribueret. Primam sententiam vere esse Theophrasteam cognovimus p. 23. Sed secundam Livianam (40, 46, 12) esse vocem Woelfflin cognovit. Libri et Parisini (apud Woelfflin p. 40) et Cusanus (p. 108 J. Klein) quorum qualis sit cognatio ne verbo quidem Klein significavit, Theophrasti nomine praescripto sententias tantum praebent I et XII. Ea fuit veterrima collectio. Ad quam primum accessit tertia (XIII) ex Hieronymi comment. in Os. III prooem. (VI, 110 Vall.), de cuius auctoritate egimus p. 25. Quod factum esse ex Vincentii Bellovacensis spec. hist. VI, 2 apparet, qui praebet sententias I, XII b, XIII (Joannis Walensis, qui compendiloquio III, 5, 25 eas se sententias referre indicat, 'quae recitantur in tractatu de speculo', ratio a nobis non habebitur). Iam vero non sola haec sententia ex Hieronymo in hanc collectionem transferebatur sed accessit etiam libri Theophrastei mentio (XIV) cum duabus sententiis ex Hieronymi commentario in Micham VII 5 (VI, 517 Vall.) Inerant igitur in collectione et Walteri auctoribus et Vincentii communi I. XII. XIII. XIV.

Sent. IV a Vincentio spec. doct. VI, 14 et spec. hist. III, 59 Socrati datur; atque scribendum est 'rationes', quod confirmatur a Vincentio ll. ss. et a flor. Monac.

V. vide p. 35.

VIII. a. Vinc. Bell. sp. doct. IV, 133: 'ex proverbio sapientum: bonus animus' etc. Syri 78 Ribb.

VIII. b. Syri 551 Ribb.

IX. a Waltero datur Aristoteli; bene, cf. Laërt. V 21.

XI. Socrati tribuitur a floril. Monac. p. 25.

AVCTOR DE VITA SVA.

Natus sum Gustavus Heylbut Hamburgi a. h. s. LII mensis Iunii die XIII patre Vito Paulina matre. Fidei addictus sum iudaicae. Literarum elementis Schleideno duce humanissimo imbutus Iohannei Hamburgensis, quod Classeni tunc regimine floruit, per quattuor annos discipulus fui. Ibi vero prae ceteris Adolphus Kiessling harum litterarum amorem in me incitavit. Maturitatis testimonio instructus Bonnam me contuli vere a. LXXII et post quinquies senos menses Berolinum migravi, ubi audivi Bonitzium, A. Kirchhoffium, Mommsenum, Zellerum. Sed post sex menses hanc Bonnensem literarum sedem repetivi, ubi me docuerunt Bergk, Bernays, Buecheler, Gildemeister, Hiller, R. Kekulé, I. B. Meyer, I. Schmidt, de Sybel, Usener. Buecheleri, Heimsoethi, Useneri liberalitate factum est, ut philologorum seminarii fierem sodalis utque exercitationibus interessem concesserunt philologicis Buecheler, Hiller, Mommsen; epigraphicis Buecheler, Kekulé; archaeologicis Kekulé; philosophicis Meyer.

Quorum virorum omnium pio semper animo memoriam recolam. Buechelero vero et Usenero ut pro tantis in me meritis non indignas aliquando gratias egisse videar, id pro viribus contendam.

THESES.

I.

Theopompus quid de Cimone iudicaverit non intellexerunt viri docti, quippe quos fugerit fragmentum servatum apud Cyrillum contra Iulianum VI p. 188 A Spanh.

II.

Homeri scribantur versus *Α* 168 *ἐπεί κε κάμω*, *Η* 5 *ἐπεί κε κάμωσιν* *Ρ* 658, *ἐπεὶ ἄρ κε κάμῃσιν.*

III.

Empedoclis de nat. I 136 St. scribendus est versus *οὐδὲ μὲν οὐδ' αἴης λάσιον δέμας οὐδὲ θάλασσα.*

IV.

Popularibus Graecorum fabulis Aristoteles utitur Rhet. I 5 p. 1362ª 8 sqq.

V.

Conclamatum esse *τὸν ἐν Αἰγίῳ παιδεραστοῦντα χῆνα*, non quod tradunt *τὸν ἐν Αἰγύπτῳ* scripsit Plutarchus de soll. an. 18 cf. Athen. XIII p. 606 C, Aelian. de an. V 29 alios.

VI.

Fetialium iure gentium violato iudicium ne unum quidem rerum scriptores tradunt; neque Diodori locum p. 631 W. vere interpretatus est Mommsen 'Röm. Staatsrecht' II, 1 p. 650, 4.

VII.

Seneca ad Polyb. de consol. 9 scripsit: 'Est mihi crede magna felicitas in ipsa necessitate moriendi.'

VIII.

Ciceroni de divin. I 16 restituatur: 'hoc sum contentus quod etiamsi qui quidque fiat ignorem, quid fiat, intellego.'

IX.

Gratias in propylo Atheniensium a Socrate philosopho factas esse non tradidit Plinius N. H. 36, 32.

X.

Falso G. Hermannus statuit in Graecorum enuntiatis relativis pronomen vel coniunctionem cum coniunctivo aliud valere ad sensum adiecta particula ἄν, aliud omissa. Aetate non sensu ea diversa sunt.